

7. *Minuisti eum παρ' Ἀγγέλους pro Angelis*, vel supra Angelos, i. e. minorem fecisti illis. Hinc sequitur, quod suâ naturâ major fit Angelis, & per consequens verus Deus & Dominus Angelorum, idemque maneat, licet ad tempus, scil. exinanitionis istis minor redditus sit, tum suâ sponte, tum voluntate Patris.

ii. *Ab uno*) scil. Deo Patre. Alii Adamum intelligunt, à quo juxta humanam naturam ex matre assumptam Christus prodiit, quod ex ratione sequenti palàm est; siquidem etsi etiam per Paternitatem Patris cœlestis, fratres simus, tamen major vis argumenti est, si per unum illum intelligamus Protoplastum Adamum. Act. 17, 26.

14. *Carni additur sanguis*, unde rectè colligitur, per carnem non intelligi Synecdochicè totam naturam humanam, verùm corpus tantum, per sanguinem verò (ut vult quidam insignis Theologus) animam, cujus vehiculum, juxta Scripturam, est sanguis.

15. *Ἐνοχοὶ δουλείας*) rei servitutis, i. e. qui obligati erant servi esse. *Ἐνοχή*, obligatio, nexus, noxa. *Ἐνοχός*, reus, obnoxius, obligatus circa rem aliquam, vel nomine alicujus rei.

16. *Non assumit semen Angelorum*) scil. ad assimilandum se ipsis, in signum miserationis & salvationis. Damascenus: Quod non assumpsit, non salvavit.

CAP. III.

Vers. 7.

USUS Officij Prophetici Christi adhortatorius ad audiendum hunc Prophetam.

8. *Κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς πειρασμῶ*) circa diem i. e. die vel tempore exacerbationis.

9. *Ἐδοκίμασάν με, καὶ εἶδον*) Probaverunt me, *etiamsi* viderent.

14. *Ἀρχὴν τῆς ὑποστάσεως*) scil. πίστεως Inf. 11, 1.

CAP. IV.

Vers. 2.

E'σμεν *εὐηγγελισμένοι*) sumus evangelizati, i. e. Evangelio affecti vel præditi.

2. Συγκι-